Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2289
Quelle:
Copyright:

que iis, quae sacros Homines deceant, aut non deceant, differit, ubi notari meretur Caput III. *Cur layci sint clericis infesti, cum tamen sint eis et in vita et in morte plurimum opportuni.* Notatur hic Tractatus P. I. *Scriptt. Universit. Vien.* p. 157. scriptus vero est, ut in calce notatur, *Anno* 1457.

XI. *fol.* 259. *Informatio Thome de Haselpach ad G. Hakke Consiliarium domini Ducis Sigismundi in Athesi* (Etschland) 1455. Init: *Postulasti a me fautorum carissime, quatenus tibi quoddam exemplar vite tue directorium ymo uerius regulam aliquam depingerem* &c. Substernit *Thomas* verba *Johannis Bapt. cuius,* ut ait, *nunc natalis pre foribus se dies obtulit, Luc.* C. III. 14. ad Milites: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris;* atque ex his *tria vitia* eruit et impugnat, *ad que curiales proni sunt et que plurimum solent regnare in curijs Magnatorum*, nempe Oppressionem Pauperum, Calumnias impactas Divitibus, et Defraudationes. Digreditur vero etiam ad Jus Principum, quod in *primarium* et *usurpatum* dividit; *nam potentes de facili solent trahere in consequentiam et communiter pro iure habere, que eis semel aut bis admissa sunt, aut permissa, vel speciali casu exigente quondam concessa, aut gratuite per modum propine porrecta.* Atque huc revocat *census de aurifodinis, salinis et aliorum metallorum fossuris, inuentiones thesaurorum sub terris, monetas et earum crebras mutationes in peius* &c. Multa praeterea de Statu militari differit, quo loco probat Artem sagittariam propter Turcas, *qui suis arcubus Christianorum plurimum turbant exercitus, quando ex aduerso per sagittas non arcentur.* Sunt et alia multa notatu digna, quae magnam Viri παῤῥησιαν ostendunt, nihil vero de ipso Duce. Concludit denique: *Hortor igitur te frater amande, vt te primum, tuam dignitatem agnoscas, te non obscure natum consideres, magnaque domus tue multitudine amicorum vallatum, temporalibus sufficienter preditum, pudica coniuge, nobili prole dotatum, et hec omnia non nisi de larga manu dei, vt ipsum tuum conditorem agnoscas* &c.

XII. *fol.* 274. non ejus manu: *Copia mandati boemorum oblati in congregatione generali die veneris XVI. mens. Januarij M°. CCCC°. 33°.* Init: *Reuerendissimis in christo patribus* &c. *concilij basilien. Capitanei exercituum, Barones* &c. *Quia audientiam generalem desideranter dudum* &c. Extat unacum sequenti T. IV. *Suppl. Concill. Mansii col.* 429. Corrigam tamen aliquas typi negligentias: *Sencisium* lege *Benessium*, *Mokrowus* lege *Mokraw*, *Zouynia* lege *Znoyma;* annum praeterea XXXII. in Subscriptione pro XXXIII. Demum adde in fine: *Item Laurinus residens in Ciuitate Thabor qui fuit omnium oratorum consensu approbatus, qui asserebatur per negligentiam scriptorum omissus.* Sequitur, ut T.

cit.